

Vos Patriæ Patrum & sancti pars magna Senatus,
Quos merita in populum & virtus, generisq; ve-
tuisti

Nobilitas, & amor Sophiæ alta ad sidera vexit,
Casurumq; dedit non ullo tempore nomen.,
Et tu, Castalidum decus ac spes magna, juventus,
Ne subeat vestras, precor, admiratio mentes,
Cur ego, cui nunquam Parnassis laurea frontem
Cinxit, Pierio neq; mens est tincta liquore.,
Carmine plebejō vestras hīc demorer aures,
Ledæosq; inter rursum velut anser olores
Obstrepuisse parem. Nec enim me vana cupido
Laudis, quam mereor nullam, me judice, movit,
Sed dudum optatæ communia gaudia pacis,
Et spe majora ætherei benefacta Parentis
In civeis, LUBECA, tuos, arasq; focosq;;
Inq; hoc, quod vario defendit ab hoste, Lyceum:
Adde quod impositę dudum mihi munia Sparte
Suaserunt, graviumq; hortamina crebra virorū.
Hinc nostræ, quāvis rudis est incomptaq;, Musæ
Acceptum vestris aut non culpabile saltem
Mentibus officium speravimus esse futurum..
Quod vobis ita sacratum votumq; putetis,
Ut stipes quondam nullâ arte politus in agris
Numinibus.